

1472 bundus erumperet, omniaque ferro & igni vastaret. Cum terrore igitur & fuga paganorum subita in agros facta est excurio: ex quibus pecora mortalesque multi sunt in prædam acti. Sed barbari equites ex proximis stativis ejulatu & clamore fugientium excitati, in Venetos se ad naves recipientes impetum fecere; injectoque certamine, militem præda gravem inopinato prælio fatigant. Tum Peloponnesiacorum equitum ala repente in hostem conversa, modico negotio in fugam vertit, fugatumque cum multa cæde insequitur. Abscissa capita cum iis quæ ex hoste capta erant, ad classem delata sunt: pro quibus singulis singulos aureos milites acceperunt; id præmium jam antea imperatoris edito fuerat in barbaros euntibus propositum, quod postea toto belli tempore est servatum. Ex hostico profecta classis, in insulam inter Chium & continentem cultu desertam, satis alioquin portuosam, concessit: eam Divam *Panaïam* vocant. Hic omnia in unum collata, sub corona venire: quæstores ad hoc ipsum creati, equitibus turmisque navalibus prædaceas pecunias dividere. Hinc porro ad insulas Cariæ adjacentes nocturno Venetus tempore transmisit, eam agri partem depopulaturus, quæ Gnidiorum olim fuerat. Fuit Gnidus inter Cariæ urbes olim ob navalia & duplicem portum nobilis: monumentaque veteris apparatus adhuc extare dicuntur & multa quidem & magna: agrum ipsum sine alia mitiori cultura pastores frequentant. Classe huc appulsa, eques milesque in prædam discurrunt: multi mortales omnis sexus & ætatis sunt ad naves ducti, pecoris quoque quantum ad navium usum visum est necessarium. Aliarum rerum, præter paucos tapetes & centones, ex quibus illi culcitra conficiunt, & tabernacula, quibus Numidarum more vagantes utuntur, nihil quæsitum. Classe in altum deducta, Venetus in Delon, Cycladum, Apollinis templo & mercatu, olim clarissimam, transiit: nunc deserta est & inhabitata: extant tantum templi & amphitheatri vestigia albi marmoris, ut Coriolanus ait: columnæ ad hæc ingensque signorum numerus cum colosso cubitorum quindecim.

Ut & Cariam.

Ex